

---

# ACTA APOSTOLICAE SEDIS

---

## COMMENTARIUM OFFICIALE

---

*Directio:* Palazzo Apostolico – Città del Vaticano – *Administratio:* Libreria Editrice Vaticana

---

# ACTA FRANCISCI PP.

---

## LITTERAE APOSTOLICAE MOTU PROPRIO DATAE

### Quibus Canones 295-296 CIC de Praelaturis Personalibus mutantur.

Le Prelature personali sono, per la prima volta, menzionate dal Concilio Vaticano II nel Decreto *Presbyterorum ordinis*, n. 10, in ordine alla distribuzione dei presbiteri, nell'ambito della sollecitudine per tutte le Chiese.

Tale spirito è ripreso dallo stesso Concilio nel Decreto *Ad gentes*, che recita «*dove per rendere più facili le opere pastorali particolari per le diverse classi sociali si prevede la costituzione di Prelature personali, in quanto il corretto esercizio dell'apostolato lo avrà richiesto*» (nota 105).

Il Motu Proprio *Ecclesiae Sanctae* (6 agosto 1966), nell'articolo dedicato a «*Ripartizione del clero e aiuti da fornirsi alle diocesi*», riguardo alle Prelature ricorda: «*per favorire speciali iniziative pastorali o missionarie in favore di certe regioni o di gruppi sociali, che abbisognano di speciale aiuto, possono fruttuosamente essere erette dalla Sede Apostolica delle Prelature composte di presbiteri del clero secolare, in possesso di una particolare formazione, dotate di propri statuti e sotto la direzione di un proprio Prelato*» (I,4).

Nel Codice di Diritto Canonico del 1983, coerentemente con tale visione, le Prelature personali vengono collocate nel Libro II, al Titolo IV della Parte I, dove si tratta de «i fedeli cristiani», tra «i ministri sacri o chierici» (Titolo III) e «le associazioni di fedeli» (Titolo V).

Considerato che con la Costituzione Apostolica *Praedicate Evangelium* (19 marzo 2022), art. 117, la competenza sulle Prelature personali è stata

trasferita al Dicastero per il Clero, dal quale dipendono anche le associazioni pubbliche clericali con facoltà di incardinare chierici (art. 118, 2);

Considerati il can. 265 e l'art. 6 del M.P. *Ad charisma tuendum* (14 luglio 2022)

dispongo ora quanto segue:

### **Art. 1**

Al can. 295, § 1, relativo agli statuti e al Prelato, si aggiunge che la Prelatura personale è «*assimilata alle associazioni pubbliche clericali di diritto pontificio con facoltà di incardinare chierici*», che i suoi statuti possono essere «*approvati o emanati dalla Sede Apostolica*» e che il Prelato agisce «*in quanto Moderatore, dotato delle facoltà di Ordinario*», risultando il canone in parola così formulato:

Can. 295, § 1. Praelatura personalis, quae consociationibus publicis clericalibus iuris pontificii cum facultate incardinandi clericos assimilatur, regitur statutis ab Apostolica Sede probatis vel emanatis eique praeficitur Praelatus veluti Moderator, facultatibus Ordinarii praeditus, cui ius est nationale vel internationale seminarium erigere necnon alumnos incardinare, eosque titulo servitii praelaturae ad ordines promovere.

### **Art. 2**

Al can. 295, § 2, relativo alle responsabilità del Prelato circa la formazione e il sostentamento dei chierici incardinati della Prelatura, si specifica che egli agisce «*in quanto Moderatore, dotato delle facoltà di Ordinario*», risultando il medesimo canone così formulato:

Can. 295, § 2. Utpote Moderator facultatibus Ordinarii praeditus, Praelatus prospicere debet sive spirituali institutioni illorum, quos titulo praedicto promoverit, sive eorundem decorae sustentationi.

### **Art. 3**

Al can. 296, relativo alla partecipazione dei laici alle attività apostoliche della Prelatura personale, si aggiunge il riferimento al can. 107, risultando il summenzionato canone così formulato:

Can. 296. Servatis can. 107 praescriptis, conventionibus cum praelatura initis, laici operibus apostolicis praelaturae personalis sese dedica-

---

re possunt; modus vero huius organicae cooperationis atque praecipua officia et iura cum illa coniuncta in statutis apte determinentur.

Quanto deliberato con questa Lettera Apostolica in forma di Motu Proprio, ordino che abbia fermo e stabile vigore, nonostante qualsiasi cosa contraria anche se degna di speciale menzione, e che sia promulgato su *L'Osservatore Romano*, entrando in vigore il giorno della pubblicazione, e quindi inserito nel commentario ufficiale degli *Acta Apostolicae Sedis*.

*Dato a Roma, presso San Pietro, nella memoria di San Domenico, il giorno 8 agosto 2023, undicesimo del Pontificato.*

FRANCESCO

**CONSTITUTIONES APOSTOLICAE****I****COUMRANENSIS**

**In Tzadia, dismembrato territorio dioecesis Sarhensis, dioecesis Coumranensis conditur.**

**FRANCISCUS EPISCOPUS**

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Creata restaurans et restaurata conservans, largitur Dominus poscentibus, qui misericordiam vult et non sacrificium et scientiam Dei plus quam holocausta (cfr *Mt* 9, 13), benignitatem suam et, quos perpetuo comitatur praesidio Ecclesiae et, eos fovere non desinens, dignos fieri sempiternae benignitatis concedit. Quibus perpensis, in illis apostolicae Nostrae sollicitudinis partes libenter interponentes, per quae Ecclesiarum particularium regimini opportune consulatur, mentem Nostram ad necessitates christifidelium, qui sunt in Tzadia, sic convertimus, ut, ecclesiasticae circumscriptionis quibusdam dismembratis territoriis, pro animarum bono novam exinde dioecesim arbitremur erigendam.

Nosmet Ipsi, prospero Venerabilis Fratris Iosephi Laterza, Archiepiscopi titulo Vartanensis et Apostolici Nuntii in Tzadia, praehabito voto, de consilio Dicasterii pro Evangelizatione, haec proposita animarum saluti valde profutura censuimus libentesque excipienda decrevimus.

Proinde, Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, territorium in praesens finibus circumscriptum Provinciae civilis vulgo *Mandoul* nuncupatae, a dioecesi Sarhensi, ad quam hactenus pertinuit, distrahi statuimus atque ex ita distracto territorio novam dioecesim, Coumranensem nuncupandam, erigimus ac constituimus. Huius novae dioecesis sedem in urbe Couma decernimus templumque ibi exstans, Deo in honorem sanctae Teresiae a Iesu Infante dicatum, ad gradum et dignitatem ecclesiae cathedralis evehimus. Novam insuper dioecesim Coumranensem iurisdictioni Dicasterii pro Evan-

gelizatione obnoxiam statuimus atque metropolitanae Ecclesiae Ndiamenanae suffraganeam eiusque Episcopum metropolitico iuri Archiepiscopi pro tempore eiusdem Ecclesiae metropolitanae subiectum. Acta et documenta omnia, quae ad novam dioecesim eiusque clericos, fideles et bona temporalia forte pertineant, a Curia Sarhensi ad Coumranensem quam citius transmittantur et in apto archivo custodiantur, ad normam iuris.

Cetera vero secundum normas Codicis Iuris Canonici aliaque ecclesiasticarum legum praescripta temperentur.

Simul ac Coumranensis dioecesis erectio ad effectum deducta fuerit, eo ipso censeantur dioecesi illi adscripti sacerdotes, in cuius territorio ecclesiasticum officium detinent; ceteri vero sacerdotes Seminarii que tirones dioecesi illi incardinati maneant vel incardinentur, in cuius territorio legitimum habent domicilium.

Ad haec omnia perficienda praefatum Nuntium Apostolicum deputamus vel, eo a sede absente, negotiorum Sanctae Sedis in Tzadia pro eo gerentem, necessarias et opportunas iisdem tribuentes facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad Dicasterium pro Evangelizatione, cum primum fas erit, authenticum exemplar actus peractae executionis remittendi.

Hanc, denique, Constitutionem Nostram iugiter ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

Datum Romae, Laterani, die duodecimo mensis Augusti, anno Domini bismillesimo vicesimo tertio, Pontificatus Nostri undecimo.

PETRUS Card. PAROLIN  
*Secretarius Status*

ALOISIUS ANTONIUS Card. TAGLE  
*Pro-Praefectus Dicasterii  
pro Evangelizatione*

Villemus Millea, *Proton. Apost.*  
Caesar Burgazzi, *Proton. Apost.*

## II

## OSAKENSIS - TAKAMATSUENSIS

**In Iaponia archidioecesis Osakensis et dioecesis Takamatsuensis in unam ac novam circumscriptionem ecclesiasticam uniuntur.**

## FRANCISCUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Qui, vitae et immortalitatis largitor, Matrem suam vivificavit in aeternum concorporea in incorruptibilitate atque illam a sepulcro suscitavit et ad seipsum assumpsit, ut ipse solus novit (cfr *Encomium in Dormitionem Deiparae*, 14), dat Ecclesiae suae ubique diffusae Spiritum sapientiae et revelationis in agnitione eius, illuminatos oculos cordis, ut sciamus quae sit spes vocationis eius, quae divitiae gloriae hereditatis eius et quae sit supereminens magnitudo virtutis eius in nos, qui credimus, secundum operationem potentiae virtutis eius, quam operatus est in Christo (cfr *Ef* 1, 17-20). Qua admoti misericordia, dum in singularum Ecclesiarum utilitatum studium incumbimus, mentem Nostram ad necessitates dilectorum christifidelium Ecclesiae quae est in Iaponia convertimus, Venerabilis Fratris Nostri Thomae Aquinatis Manyo Card. Maeda postulationi benigne concedentes, ut, hodiernis spiritualibus socialibusque et culturalibus peculiaribus adiunctis perpensis, archidioecesis Osakensis et dioecesis Takamatsuensis plene uniantur et, coniunctis utriusque territorii, una exinde ac nova circumscriptio ecclesiastica erigatur.

Omnibus relatis attentis, suadente Dicasterio pro Evangelizatione propensoque praehabito voto omnium quorum interest, preces ad Nos admotas animarum saluti valde profuturas censuimus libentesque decrevimus excipiendas et, idoneis obtentis sententiis Venerabilis Fratris Leonis Boccardi, Archiepiscopi titulo Bitectensis et Apostolici Nuntii in Iaponia, atque Venerabilis Fratris Ioannis Eijiro Suwa, Episcopi emeriti Takamatsuensis, atque Praesidis Conferentiae Episcoporum Catholicorum Iaponiae, preces ad Nos admotas suscipiendas mandamus.

Proinde, ad animarum saluti aptius providendum, Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, statuimus ac decrevimus, ut archidioecesis Osaken-sis et dioecesis Takamatsuensis, quae hactenus prioris fuit suffraganea, in unam ac novam coalescant ecclesiam communitatem, Osakensem-Takamatsuensem nuncupandam, cuius Patronam apud Deum Beatam Mariam Virginem a Rosario eligimus, integris servatis territoriis quae nuncusque ad utramque dioecesim pertinebant, nihil immutatis territoriis paroeciarum iam existentium adnexisque omnibus institutis ecclesiasticis cum suis bonis atque iuribus ad unamquamque dioecesim nunc sic coniunctam spectantibus, ad normam can. 121 Codicis Iuris Canonici vigentis, eidemque eundem Venerabilem Fratrem Nostrum Thomam Aquinatem Manyo Card. Maeda nominantes Archiepiscopum, cunctis consentaneis iuribus et privilegiis concessis secundum leges ecclesiasticas.

Sedem novae sic coniunctae archidioecesis in urbe Osaka decernimus, cuius cathedralis ecclesiae ibi iam exstantis, Deo in honorem Beatae Mariae Virginis ab Immaculata Conceptione dicatae, confirmamus dignitatem, eodem tempore templo in urbe Takamatsuensi sub nomine Beatae Mariae Virginis in Caelum Assumptae exstanti titulum ecclesiae concathedralis tribuentes.

Una posthac volumus amodo sit Curia Episcopalis, sicut et Tribunal Ecclesiasticum, Collegium Consultorum, Consilium Presbyterale, Consilium Pastorale atque Officia apostolatus et alia quaelibet instituta dioecesana iure canonico praevisa. Cetera vero secundum normas Codicis Iuris Canonici aliaque ecclesiasticarum legum praescripta temperentur.

Sacerdotes et diaconi, qui hucusque unicuique ex duabus circumscriptionibus ecclesiasticis nunc unitis incardinati erant, ipso facto adscripti censeantur novae archidioecesi ex hac unione exortae.

Ad haec omnia perficienda praefatum Nuntium Apostolicum deputamus vel, eo a sede absente, negotiorum Sanctae Sedis in Iaponia pro eo gerentem, necessarias et opportunas iisdem tribuentes facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad Dicasterium pro Evangelizatione, cum primum fas erit, authenticum exemplar actus peractae executionis remittendi.

Deum quaesumus, ut populus hic eius, Virginis Matris intercessione, ad superna semper intendens, ab omni mundi corruptione servans se immunem in caelestibus in Christo Iesu consedat.

Hanc, denique, Constitutionem Nostram iugiter ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

Datum Romae, Laterani, die decimo quinto mensis Augusti, sollemnitate in Assumptione Beatae Mariae Virginis, anno Domini bismillesimo vicesimo tertio, Pontificatus Nostri undecimo.

PETRUS Card. PAROLIN  
*Secretarius Status*

ALOISIUS ANTONIUS Card. TAGLE  
*Pro-Praefectus Dicasterii  
pro Evangelizatione*

Franciscus Piva, *Proton. Apost.*  
Villemus Millea, *Proton. Apost.*

Loco ☩ Plumbi  
*In Secret. Status tab., n. 609.156*

**LITTERAE APOSTOLICAE****I**

**Venerabili Servo Dei Ioanni Aguilar Donis, presbytero, et V sociis, martyribus, Beatorum honores decernuntur.**

**FRANCISCUS PP.**

Ad perpetuam rei memoriam. — «Hi sunt, qui venerunt de tribulatione magna et laverunt stolas suas et dealbaverunt eas in sanguine Agni. Ideo sunt ante thronum Dei et serviunt ei die ac nocte in templo eius, et qui sedet in throno, habitabit super illos. Non esurient neque sitient amplius, nec cadet super illos sol neque ullus aestus, quoniam Agnus, qui in medio throni est, reget illos et deducet eos ad vitae fontes aquarum, et absterget Deus omnem lacrimam ab oculis eorum» (*Ap* 7, 14-17).

Cum civile bellum arderet in Hispania ab anno MCMXXXVI ad annum MCMXXXIX, tempore vexationum in christianos palmam martyrii multi ex consecratis et christifidelibus laicis consecuti sunt. Ex istis, Christi ac ecclesialis comparticipationis eiurationem respuentes, mortem occubuerunt V religiosi Ordinis Fratrum Praedicatorum atque I christifidelis laicus e Tertio Ordine Sancti Dominici, martyres Almerienses. Scripta in libro vitae, horum servorum Dei nomina sunt:

1. IOANNES AGUILAR DONIS. Natus est die I mensis Iunii anno MDCCCLXXXVI in pago *Amusco de Campos*. Vota temporalia die XII mensis Octobris anno MCMII ac vota sollemnia die I mensis Aprilis anno MCMVI nuncupavit. Presbyter ordinatus, primum missus est ad conventum Ordinis Fratrum Praedicatorum in urbe Asta, deinde ad conventum Almeriae ut studia humanitatis doceret. Nocte inter diem II et diem III mensis Septembris anno MCMXXXVI in loco *Pozos de Tabernas* interfectus est.

2. THOMAS MORALES MORALES. Natus die XII mensis Iulii anno MCMVII in pago *Carrizal de Ingenio*, in Insulis Fortunatis, vota temporalia anno MCMXXIV ac vota perpetua nuncupavit die XII mensis Iulii anno MCMXXVIII. Presbyter ordinatus est die XXIX mensis Martii anno MCMXXXI, studia humanitatis docuit.

Nocte inter diem xxx et diem xxxi mensis Augusti anno MCMXXXVI in loco *Pozos de Tabernas* occisus est.

3. FERDINANDUS GRUND JIMÉNEZ. Malacae natus die xiv mensis Februarii anno MCMVII, vota temporalia nuncupavit anno MCMXXVI ac vota sollemnia die v mensis Octobris anno MCMXXIX. Presbyter ordinatus est anno MCMXXXI. Interfectus est nocte inter diem xxx et diem xxxi mensis Augusti anno MCMXXXVI in loco *Pozos de Tabernas*.

4. FERDINANDUS DE PABLOS FERNÁNDEZ. Natus die vii mensis Aprilis anno MDCCCLXXVI in loco *Valcuende*, veluti conversus ingressus est Ordinem Fratrum Praedicatorum. Vota temporalia anno MCMIV ac vota perpetua nuncupavit die xv mensis Decembris anno MCMVIII. Plumbis necatus est apud Almeriam nocte inter diem x et diem xi mensis Septembris anno MCMXXXVI.

5. ALOISIUS MARIA FERNÁNDEZ MARTÍNEZ. Natus die xxvi mensis Augusti anno MDCCCLXXXVI in loco *Villanueva de la Nía*, vota temporalia uti conversus nuncupavit die xxvii mensis Decembris anno MCMVIII. Occisus est apud Almeriam die xix mensis Octobris anno MCMXXXVI.

6. FRUCTUOSUS PÉREZ MÁRQUEZ. Natus Almeriae die ix mensis Februarii anno MDCCCLXXXIV, anno MCMXI uxorem duxit, quae ei quattuor filios peperit. Ad Tertium Ordinem Dominicanum pertinens, diurnarius fuit. Necatus est die xv mensis Augusti anno MCMXXXVI in litore *La Garrofa* nuncupato apud Almeriam.

Progrediente tempore, cum large v religiosorum laicique martyrii fama cresceret, apud curiam ecclesiasticam dioecesis Almeriensis, in Hispania, ab anno MCMLXII ad annum MCMLXXI Processus informativus explicatus est atque ab anno MCMXCV ad annum MCMXCVII Inquisitio dioecesana facta est. In Congressu peculiari die xxiii mensis Octobris anno MMXVIII Consultores Theologi favens dederunt suffragium. Die x mensis Decembris anno MMXIX Patres Cardinales et Episcopi verum martyrium fuisse iudicarunt Venerabilium Servorum Dei mortem. Omnibus servatis iure statutis, Nos Ipsi die xi mensis Decembris anno MMXIX facultatem dedimus ut Congregatio de Causis Sanctorum Decretum de martyrio promulgaret. Statuimus etiam ut sollemnis ritus beatificationis Hispani, in Hispania, die xviii mensis Iunii anno MMXXII celebraretur.

Hodie igitur Hispali de mandato Nostro Venerabilis Frater Noster Marcellus S.R.E. Cardinalis Semeraro, Praefectus Dicasterii de Causis Sanctorum, textum Litterarum Apostolicarum legit, quibus Nos Venerabiles Servos Dei Ioannem Aguilar Donis, presbyterum, et V socios, martyres, in Beatorum numerum adscribimus:

Nos, vota Fratrum Nostrorum Gerardi Melgar Viciosa, Episcopi Civitatis Regalensis, Antonii Gómez Cantero, Episcopi Almeriensis, Francisci Iesu Orozco Mengíbar, Episcopi Guadicensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu multorumque christifidelium expletes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabiles Servi Dei Angelus Marina Álvarez et XIX socii, Ioannes Aguilar Donis et IV socii, Ascensio a Sancto Ioseph (in saeculo: Isabella Sánchez Romero) ex Ordine Praedicatorum; necnon Fructuosus Pérez Márquez, christifidelis laicus, ex Tertio Ordine Sancti Dominici, martyres, Christi strenui testes usque ad sanguinis effusionem Beatorum nomine in posterum appellentur atque die sexta mensis Novembris quotannis in locis et modis iure statutis celebrari possint. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

Clari hi martyres peculiarem ostenderunt spiritalem progressum, Christi eiusque Ecclesiae dilectionem atque insignia dederunt pietatis testimonia. Dum illorum conspicimus virtutes, ad altiore usque in cotidiano itinere imitationem Salvatoris incitatur adque proprii status perfectionem diligenter sequendam invitatur.

Quod autem decrevimus, volumus et nunc et in posterum tempus vim habere, contrariis rebus quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, Laterani, sub anulo Piscatoris, die XVIII mensis Iunii, anno MMXXII, Pontificatus Nostri decimo.

*De mandato Summi Pontificis*

PETRUS Card. PAROLIN

*Secretarius Status*

Loco  $\text{E}$  Plumbi

*In Secret. Status tab., n. 574.124*

## II

**Venerabilibus Servis Dei Angelo Marina Álvarez, presbytero, et XIX Sociis, martyribus, Beatorum honores decernuntur.**

## FRANCISCUS PP.

Ad perpetuam rei memoriam. — «Et eritis odio omnibus propter nomen meum; qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit» (*Mt 10, 22*).

In Christum sui fidei testimonium sanguine obtulerunt martyres, hodie in Ecclesia martyrii corona resplendentes. Dum in Hispania quarto decennio saeculi vicesimi fideles catholici vexabantur, usque ad sanguinis effusionem perseverarunt etiam XX religiosi Ordinis Fratrum Praedicatorum. Ex his martyribus aliqui erant sacerdotes, alii cooperatores et novitii communitatis Sancti Rosarii in oppido Almagro dioecesis Civitatis Regalensis. Conventum relinquere coacti, postremo in variis locis tempore aestivo anno MCMXXXVI supremum testimonium attulerunt. Hoc candidum martyrum agmen participantium haec nomina sunt:

Martyrio in oppido Almagro die XIV mensis Augusti coronati sunt:

1. ANGELUS MARINA ÁLVAREZ. Natus in loco Barruelo de los Carabeos die XXVIII mensis Martii anno MDCCCXC, in Ordine Fratrum Praedicatorum anno MCMVII vota temporalia votaue sollemnia die XXIII mensis Octobris anno MCMX emisit. Die XXI mensis Septembris anno MCMXVI presbyter est ordinatus. Missionaria navitate peracta in Venetiola, in Cuba et in Insulis Fortunatis, communitatis in oppido Almagro prior nominatus est.

2. EMMANUEL FERNÁNDEZ PEREIRA. Natus Lisbonae die XXX mensis Septembris anno MDCCCLXXVIII, post breve tempus in seminario Tudensi exactum, Ordinem Fratrum Praedicatorum ingressus est. Anno MDCCCXCVI vota temporalia et anno MDCCCXCIX vota sollemnia emisit. Die XIX mensis Martii anno MCM presbyter est ordinatus atque anno MCMXIX ac anno MCMXXXI provincialis prior est electus.

3. NATALIUS CAMAZÓN JUNQUERA. Natus in oppidulo Castromocho die I mensis Decembris anno MDCCCLXXIII, die XXIX mensis Decembris anno MDCCCLXXXIX

vota temporalia et annos post tres vota sollemnia emisit. Anno MDCCCXCVII presbyter est ordinatus.

4. ANTONIUS TRANCHO ANDRÉS. Natus est in oppidulo Becerril de Campos die IX mensis Decembris anno MCM. Anno MCMXVIII vota temporalia et anno MCMXXI vota sollemnia emisit. Die XXIV mensis Maii anno MCMXXV presbyter est ordinatus. Ab anno MCMXXVI in convento oppidi Almagro apologeticae disciplinae ac theologiae moralis fuit professor.

5. ALOISIUS SUÁREZ VELASCO. Natus est die XXIX mensis Ianuarii anno MDCCCXCVII in oppidulo Pelúgano. Anno MCMXVII religiosam primam professionem et die XVII mensis Octobris anno MCMXX vota sollemnia emisit. Die X mensis Februarii anno MCMXXIV presbyter ordinatus est atque in convento oppidi Almagro Sacrae Scripturae professor fuit.

6. EDUARDUS SÁINZ LANTARÓN. Natus die XIV mensis Novembris anno MCMVI in loco Renedo de Valdearroyo, anno MCMXXIV vota temporalia et die XIV mensis Novembris anno MCMXXVII vota sollemnia emisit. Die XXIX mensis Martii anno MCMXXXI presbyter ordinatus est. In schola apostolica oppidi Almagro professor ac moderator fuit.

7. PETRUS LÓPEZ DELGADO. Natus die IX mensis Februarii anno MCMIX in oppidulo Nogarejas de la Valderia, anno MCMXXVI vota temporalia et die X mensis Februarii anno MCMXXX vota sollemnia emisit. Die XVI mensis Iulii anno MCMXXXIII presbyter est ordinatus.

8. FRANCISCUS SANTOS CADIerno. Natus die VII mensis Martii anno MCMXIII in oppidulo Nogarejas de la Valderia, die XXX mensis Septembris anno MCMXXX vota temporalia emisit. Ut frater tiro est interemptus.

9. SEBASTIANUS SÁINZ LÓPEZ. Natus die XX mensis Ianuarii anno MCMXV in loco Santa Lucía de Villasuso, die IV mensis Octobris anno MCMXXXIII vota temporalia emisit. Ut frater tiro necatus est.

10. ARSENIUS DE LA VIUDA SOLLA. Natus die XIX Iunii anno MDCCCLXXX in loco Valdespino Vaca, die X mensis Februarii anno MCMVII religiosam professionem ut frater conversus emisit.

11. OVIDIUS BRAVO PORRAS. Natus die XXX mensis Aprilis anno MCMVIII in loco Fuente Andrino, die II mensis Iulii anno MCMXXXV religiosam primam professionem, frater conversus futurus, emisit.

12. DIONYSIUS PÉREZ GARCÍA. Natus die VIII mensis Aprilis anno MCMXII in loco Villalvilla de Villadiego, die XXV mensis Maii anno MCMXXXV religiosam professionem, frater conversus futurus, emisit.

13. FERDINANDUS GARCÍA DE DIOS. Natus die XXX mensis Maii anno MCMXVI in loco San Felices de los Gallegos, cum annum novitiatus, frater conversus futurus, ageret, occisus est.

Martyrio in oppido Manzanares die VIII mensis Augusti coronati sunt:

14. PAULINUS REYOY GARCÍA. Natus est die XXII mensis Iunii anno MCMXIII in loco Atapuerca. Anno MCMXXX vota temporalia et die VII mensis Octobris anno MCMXXXIV vota sollemnia emisit. Die VI mensis Iunii anno MCMXXXVI subdiaconus est ordinatus.

15. IACOBUS APARICIO LÓPEZ. Natus est die XXIV mensis Septembris anno MCMXIII in loco Revilla de Collazos. Anno MCMXXX vota temporalia, die VII mensis Octobris anno MCMXXXIV vota sollemnia emisit. Die VI mensis Iunii anno MCMXXXVI subdiaconus est ordinatus.

16. RICHARDUS EMMANUEL LÓPEZ Y LÓPEZ. Natus est die XIII mensis Ianuarii anno MCMXIV in loco Olmos de Atapuerca. Anno MCMXXX vota temporalia et die XIX mensis Februarii anno MCMXXXVI vota sollemnia emisit.

Martyrio in oppido Miguelterra die XXX mensis Iulii coronati sunt:

17. IUSTUS VINCENTIUS MARTÍNEZ. Natus est die XVII mensis Octobris anno MCMXIII in loco Villanázar de Valverde. Anno MCMXXXII vota temporalia et die XXX mensis Aprilis anno MCMXXXVI vota sollemnia emisit.

18. MATTHAEUS DE PRADO FERNÁNDEZ. Natus die XXVII mensis Iulii anno MCMVII in loco La Mata de Monteagudo, die XV mensis Octobris anno MCMXXXV vota temporalia emisit.

19. IOSEPHUS GARRIDO FRANCÉS. Natus est die XI mensis Octobris anno MDCCCXIII in loco Villaherreros. Anno MCMIX vota temporalia et die XXVIII mensis Novembris anno MCMXIII vota sollemnia emisit. Die XXV mensis Maii anno MCMXVIII presbyter est ordinatus.

Martyrio in oppido Alcázar de San Juan die XXVII mensis Iulii coronatus est:

20. ANTONILLUS MARTÍNEZ-SANTOS YSERN. Natus die IX mensis Novembris anno MCMXIV in loco Campo de Criptana, novitius est occisus.

Statim manifestam martyrii famam Servi Dei consecuti sunt tum propter virtutes ab eis exercitas, tum propter eorum occisionis rationem. Cum per decennia haec fama perduraret, apud Curiam dioecesis Civitatis Regalensis ab anno MCMXCV ad annum MCMXCIX Inquisitio dioecesana facta est. Positione parata, favorabili cum exitu acta est Sessio Commissionis Historicae die x mensis Iunii anno MMXIV. Die XXIII mensis Octobris anno MMXVIII Congressus peculiaris Consultorum Theologorum factus est. Die x mensis Decembris anno MMXIX Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria coadunati iudicarunt propter eorum fidem in Christum et Ecclesiam Venerabiles Servos Dei occisos esse. Demum Nos Ipsi die XI mensis Decembris anno MMXIX facultatem dedimus ut Congregatio de Causis Sanctorum Decretum de martyrio promulgaret. Statuimus itaque ut sollemnis ritus beatificationis Hispali, in Hispania, die XVIII mensis Iunii anno MMXXII celebraretur.

Hodie igitur Hispali de mandato Nostro Venerabilis Frater Noster Marcellus S.R.E. Cardinalis Semeraro, Praefectus Dicasterii de Causis Sanctorum, textum Litterarum Apostolicarum legit, quibus Nos Venerabiles Servos Dei Angelum Marina Álvarez, presbyterum, et XIX socios, martyres, in Beatorum numerum adscribimus:

Nos, vota Fratrum Nostrorum Gerardi Melgar Viciosa, Episcopi Civitatis Regalensis, Antonii Gómez Cantero, Episcopi Almeriensis, Francisci Iesu Orozco Mengibar, Episcopi Guadicensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabiles Servi Dei Angelus Marina Álvarez et XIX socii, Ioannes Aguilar Donis et IV socii, Ascensio a Sancto Ioseph (in saeculo: Isabella Sánchez Romero) ex Ordine Praedicatorum; necnon Fructuosus Pérez Márquez, christifidelis laicus, ex Tertio Ordine Sancti Dominici, martyres, Christi strenui testes usque ad sanguinis effusionem Beatorum nomine in posterum appellentur atque die sexta mensis Novembris quotannis in locis et modis iure statutis celebrari possint. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Clari hi martyres peculiarem ostenderunt spiritalem progressum, Christi eiusque Ecclesiae dilectionem atque insignia dederunt pietatis testimonia.

Dum illorum conspicimus virtutes, ad altiorem usque in cotidiano itinere imitationem Salvatoris incitatur adque proprii status perfectionem diligenter sequendam invitatur.

Quod autem decrevimus, volumus et nunc et in posterum tempus vim habere, contrariis rebus quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, Laterani, sub anulo Piscatoris, die XVIII mensis Iunii, anno MMXXII, Pontificatus Nostri decimo.

*De mandato Summi Pontificis*

PETRUS Card. PAROLIN

*Secretarius Status*

Loco  Plumbi

*In Secret. Status tab., n. 574.128*

## III

**Venerabili Servae Dei Ascensioni a Sancto Ioseph caelitem Beatorum tribuitur dignitas.**

## FRANCISCUS PP.

Ad perpetuam rei memoriam. — «Sed et capilli capitis vestri omnes numerati sunt. Nolite timere; multis passeribus pluris estis. Dico autem vobis: Omnis, quicumque confessus fuerit in me coram hominibus, et Filius hominis confitebitur in illo coram angelis Dei» (*Lc 12, 7-8*).

Divini Salvatoris repromissio iis in primis addicitur qui saeculi XX tempore propter Evangelium persecutionem sunt passi. Quod accidit etiam in Hispania paulo ante atque civilis belli tempore (annis MCMXXXVI-MCMXXXIX), cum complures religiosi religiosaeque suis de claustris sunt depulsi et postea saevius usque sunt interempti. Inter illos, qui, ut Domino Iesu fideles manerent, vitam tradiderunt, Venerabilis Serva Dei Ascensio a Sancto Ioseph (in saeculo Isabella Sánchez Romero) reperitur.

A modica familia Oscae apud Illiberrim die IX mensis Maii anno MDCCCLXI nata est, subsequenti die XII mensis Maii Baptismi lavacro est abluta atque die XI mensis Novembris eiusdem anni Confirmationis sacramentum recepit. Periuvenis monasterium Dominicanarum Oscae est ingressa atque, praestituto novitiatu expleto, mense Octobri anno MDCCCLXXXV vota nuncupavit ut monacha Ordinis Praedicatorum. Sicut religiosa oboedientia, simplicitate et servitii studio eminebat, suas patienter tolerans corporis infirmitates. Flagrans in Sanctissimum Sacramentum adoratio in ea cum alacritate sororum iuvandarum coniungebatur. Cum religiosa persecutio in Hispania, civilis belli tempore, annis MCMXXXVI-MCMXXXIX, agi coepta est, religiosae monasterium deserere sunt coactae, confugientes ad domus nonnullorum fidelium ac postea suorum familiarium. Soror Ascensio ad consobrinam quandam se contulit, prope claustrum antistitam commorans, ad quam adire solebat, in cotidianis rebus eandem adiutura. Die XVI mensis Februarii anno MCMXXXVII milites marxiani in Servae Dei domum invaserunt, in eam varios cruciatus cientes, quos ipsa patienter toleravit, atque tandem eam ceperunt. Die XVII mensis Februarii Serva Dei iussa est blasphemare et crucifixum proculcare.

Ei firmiter neganti ac fidem Christo Regi profitenti milites imperaverunt ut cruciatus cerneret, ceteris captivis illatos. Ipsa quoque cum cruciata esset, cum fidem pernegare noluisset, eius caput in quodam lapide est positum, quod alio lapide est perfractum.

Huius Servae Dei mors a multis continuo post occisionem habita est martyrium. Monacharum communitas Dominicanarum monasterii Matris Dei Oscae apud Illiberrim martyrii Causam egit. Die v mensis Decembris anno MCMXCV in dioecesi Guadicensi dioecesana Inquisitio incohata est, quae die XVIII mensis Martii anno MCMXCVII ad finem est adducta. His iure postulatis perfectis rebus, Positio comparata die x mensis Iunii anno MMXIV Consultorum historicorum iudicio est subiecta, atque die XXIII mensis Octobris anno MMXVIII Congressui Consultorum theologicorum. Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria die x mensis Decembris anno MMXIX agnoverunt Servam Dei sanguinem effudisse propter fidelitatem erga Christum et Ecclesiam. Nos Ipsi die XI mensis Decembris anno MMXIX facultatem fecimus ut Congregatio de Causis Sanctorum de martyrio Decretum ederet. Itaque statuimus ut beatificationis ritus die XVIII mensis Iunii anno MMXXII Hispali in Hispania celebraretur.

Hodie igitur ex mandato Nostro, Marcellus S.R.E. Cardinalis Semeraro, Praefectus Dicasterii de Causis Sanctorum, Apostolicas legit Litteras quibus Nos in Beatorum catalogum rettulimus Venerabilem Servam Dei Ascensionem a Sancto Ioseph:

Nos vota Fratrum Nostrorum Gerardi Melgar Viciosa, Episcopi Civitatis Regalensis, Antonii Gómez Cantero, Episcopi Almeriensis, Francisci Iesu Orozco Mengibar, Episcopi Guadicensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabiles Servi Dei Angelus Marina Álvarez et XIX socii, Ioannes Aguilar Donis et IV socii, Ascensio a Sancto Ioseph (in saeculo: Isabella Sánchez Romero) ex Ordine Praedicatorum; necnon Fructuosus Pérez Marquez, christifidelis laicus, e Tertio Ordine sancti Dominici, martyres, Christi strenui testes usque ad sanguinis effusionem Beatorum nomine in posterum appellentur atque die sexta mensis Novembris quotannis in locis et modis iure statutis celebrari possint. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Quod autem decrevimus, volumus et nunc et in posterum tempus vim habere, contrariis rebus quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, Laterani, sub anulo Piscatoris, die XVIII mensis Iunii, anno MMXXII, Pontificatus Nostri decimo.

*De mandato Summi Pontificis*

PETRUS Card. PAROLIN

*Secretarius Status*

Loco  Plumbi

*In Secret. Status tab., n. 574.125*

## IV

**Venerabili Servo Dei Ioanni Philippo Jeningen caelitum Beatorum tribuitur dignitas.**

## FRANCISCUS PP.

Ad perpetuam rei memoriam. — «Sic est regnum Dei, quemadmodum si homo iaciat sementem in terram et dormiat et exurgat nocte ac die, et semen germinet et increseat» (*Mc* 4, 26-27).

Suam per vitam Venerabilis Servus Dei Ioannes Philippus Jeningen Evangelii in meridianas Germaniae plagas sementem iecit, et fructus quem tulit hodie quoque manet.

Die v mensis Ianuarii anno MDCXLII Baptismi lavacro in cathedrali templo Eystettensi Germaniae est ablutus. Pater ad catholicam Ecclesiam est conversus atque nonnulli filii vitam religiosam amplexuri erant. Eodem tempore quo Triginta annorum bellum (annis MDCXVIII-MDCXLVIII) ad finem est adductum, natus est Philippus, annis quibus eius nativa urbs paulo ante tota fere est combusta. Illo tempore metu ac difficultatibus affectus propter bellum, crevit, inter ruinas deletae urbis, quae paulatim denuo extruebatur. Ab anno MDCLI ad annum MDCLIX scholam Eystettensem Iesuitarum adiit ac sodalis factus est Congregationis Marianae; XIV annos natus Ordinem ingredi iam constituerat, sed parentum rogatu, antea philosophica ac theologica curricula Ingolstadii absolvit. Die XVI mensis Ianuarii anno MDCLXIII, agens XXI annum, novitiatum Societatis Iesu in loco Landsbergam Lech Bavariae est ingressus: hic spiritualitatem detexit Exercitiorum Spiritualium atque in communitate vitae et famulatus necessitudine cum Iesu crevit, qui ad continenter Dei voluntatem requirendam eandemque libenter recipiendam eum perduxit. “Amantis est attentionem praestare Amati clamanti, potius quam eum iubentem exspectare”, quod suis in adversariis scripsit Servus Dei. Ipse enim ex Exercitiorum spiritu vixit, est operatus et mortuus. Post novitiatum grammaticam docuit primum Dillingae (annis MDCLXV-MDCLXVI) post Ingolstadii (annis MDCLXVI-MDCLXVIII), ubi theologiam etiam didicit (annis MDCLXVIII-MDCLXXII). Theologiae iuvenis studiosus, atque magnus aestimator devotusque sancti Francisci Xavier, anno MDCLXIX Ordinis Generali epistu-

lam scripsit, postulans ut in Indicam missionem mitteretur. Quod de se Dei voluntatem ipse agnoverat, sed eodem tempore ad quodlibet ministerium erat paratus. Ipsius plus viginti epistulae servantur, quae eius infinitam alacritatem ad missionem testantur, licet opere quod agebat esset contentus. Anno MDCLXXII Dryopoli presbyteralem ordinationem recepit. Ottingae tertii anni commorationis tempore (annis MDCLXXII-MDCLXXIII), qui locus celeberrimus Marialis peregrinationis ex meridiana Germania erat, pastoralement operam peregrinorum curandorum navavit, reconciliationis sacramentum ministrando, praedicando et catechismum docendo. VII annos, a MDCLXXIII ad MDCLXXX annum, pater Philippus in collegiis Mindelhemensi et Dillingano doctrinae tradendae opus gessit, ubi die II mensis Februarii anno MDCLXXVII perpetua vota nuncupavit. Anno MDCLXXX in oppidum Ellwangen missus est scholae et collegiatae ecclesiae pastoralement curam acturus. Eius tamen praecipuum munus fuit inservire peregrinis in monte Schönenberg, ubi pastoralis opera gerebatur pro cuncta regione inde ab anno MDCXXXVIII, in quo modicam ligneam crucem una cum Virginis Mariae imagine Triginta annorum belli tempore figerant Iesuitae, fideles cohortantes ut in illo loco orarent. Supra parvum sacellum quod in colle aedificatum erat, ut gratiae pro receptis beneficiis persolverentur, pater Jeningen magnum templum barocum exstruendum curavit, omni ex parte spectabile. Quadam in epistula scripsit suam praecipuam esse sollicitudinem “Deum, Iesum et Matrem in proximi corde imprimere”, ut ab indifferenti ac levi animo abduceretur isque iuvaretur ut altam cum Patre, Iesu Christo et Virgine Maria necessitudinem institueret, ex corde orientem idque moventem. Eius interior habitus affectione in Deum et homibus dedicatione penitus finiebatur. A populo “bonus pater Philippus” vocatus, adflictos consolari volebat, eorum dolores levare ac prope eos esse. Ipse ab omnibus erat cognitus ut “humilis peregrinus”, Domino crucifixo obsequens: corii amiculum, baculus, galerus, calcei sine soleis ei erant, qui iter pedibus faciebat, pluvia cadente vel sole splendente. Per simplicem praedicationem, probum vivendi morem et cordis bonitatem, cunctis fidei semitam demonstravit, ad omnia paratus copiose largienda. Praeter magnum charisma, eius vivendi ratio parum apparuit et ordinaria fuit; insignis est claritudo, qua Servus Dei suam vitam exegit, atque vis, congruentia, quibus eam coluit. Omnia dirigebantur ut Deus Pater una cum Maria per Iesum contingeretur utque homines in hoc iter perducerentur. De eo documenta visiones quoque et extraordinarias apparitiones narrant,

quibus non gloriabatur, sed confirmabatur, cum ad Dei amorem inclinaret et in proximi curam. Singulis diebus effecit ut Deus se duceret, propriam fidelitatem ostendens coram probatione potissimum ac difficultatibus. Ei verba quoque vigebant quae iterare solebat: “Maximus in terrarum orbe is est qui plus Deum amat”. Eius in epitaphio, pater Jeningen describitur “missionarius indefaticabilis in oppido Ellwangen et circumcirca in IV dioecesibus (Augustana, Constantiensi, Eystettensi, Herbipolensi)”. Etenim, opus ruralis missionarii verus fuit eius vitae apostolatus. Multi catholici dissipabantur atque proprio pastore carebant, templa quoque et paroeciae, saepe dirutae, renovationis indigebant. Pater Philippus regionem peragravit, missiones fecit ac pro sacerdotibus recessus; in primis milites, captivos et capitibus condemnatos curavit. Licet imbecilla uteretur valetudine, actuosissimus fuit atque, praeter complures morbos, solacium et populo subsidium detulit. Sacra Eucharistia eius usque fuit alimentum. Cum impense opus faceret, in gravem morbum incidit postquam Spiritualia Exercitia incohaverat atque die VIII mensis Februarii anno MDCCIV in oppido Ellwangen obiit, ubi in basilica Sancti Viti sepultus est.

Eius post mortem, quidam inceperunt motus eius beatificationem adiuturi. Anno MCMXLIII quondam Sectio Historica Congregationis de Causis Sanctorum comparavit Positionem super Introductione Causae et super virtutibus ex officio concinnatam atque, die XXIII mensis Martii anno MCMXLV, processus canonicus Romae officiose incohatus est. Die XXI mensis Decembris anno MCMLXXXIX per declarationem eius virtutum heroum in modum exercitarum, Servo Dei titulus Venerabilis inditus est. Venerabilis Servi Dei sanctitatis et signorum fama per complures sanationum narrationes, eius ex intercessione obtentorum, est demonstrata, inter quas ea annumeratur quae in Germania anno MCMLXXXV evenit, quam Medici Consultores Congregationis de Causis Sanctorum die VIII mensis Maii anno MMXX ad scientiam inexplicabilem iudicarunt. Theologi Consultores, in peculiari Congressu die XIV mensis Ianuarii anno MMXXI coadunati, talem sanationem Venerabilis Dei Servi intercessionem adscripserunt atque Patres Cardinales et Episcopi, in Sessione Ordinaria die I mensis Iunii anno MMXXI hanc sanationem verum miraculum aestimarunt. Sic Nos Ipsi, die XIX mensis Iunii anno MMXXI facultatem fecimus ut Congregatio de Causis Sanctorum de miraculo Decretum ederet ac statuimus insuper ut beatificationis ritus in oppido Ellwangen Germaniae die XVI mensis Iulii anno MMXXII ageretur.

Hodie igitur ex mandato Nostro, Ioannes Claudius S.R.E. Cardinalis Hollerich Archiepiscopus Luxemburgensis, Apostolicas legit Litteras quibus Nos in Beatorum catalogum rettulimus Venerabilem Servum Dei Ioannem Philippum Jeningen:

Nos, vota Fratris Nostri Gebardi Fürst, Episcopi dioecesis Rottenburgensis-Stutgardiensis necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Dicasterii de Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabilis Servus Dei Ioannes Philippus Jeningen, Societatis Iesu presbyter professor, Evangelii praeco indefessus et sedulus propagator marianae devotionis, Beati nomine in posterum appelletur atque die octava mensis Februarii, qua in caelum ortus est, quotannis in locis et modis iure statutis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Presbyter hic vere evangelicam secutus est doctrinam in vita sua pastoralique ministerio: dives caritate, fide, spe, humilitate aliisque virtutibus, indesinenter et magnanime adiuvans omnes, praebuit excellens exemplum christianae et sacerdotalis consuetudinis.

Quod autem decrevimus, volumus et nunc et in posterum tempus vim habere, contrariis rebus quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, Laterani, sub anulo Piscatoris, die XVI mensis Iulii, anno MMXXII, Pontificatus Nostri decimo.

*De mandato Summi Pontificis*

PETRUS Card. PAROLIN

*Secretarius Status*

Loco  Plumbi

*In Secret. Status tab., n. 577.026*

## EPISTULAE

### I

#### Ad Presbyteros dioecesis Urbis.

*Cari fratelli sacerdoti,*

desidero raggiungervi con un pensiero di accompagnamento e di amicizia, che spero possa sostenervi mentre portate avanti il vostro ministero, con il suo carico di gioie e di fatiche, di speranze e di delusioni. Abbiamo bisogno di scambiarci sguardi pieni di cura e compassione, imparando da Gesù che così guardava gli apostoli, senza esigere da loro una tabella di marcia dettata dal criterio dell'efficienza, ma offrendo attenzioni e ristoro. Così, quando gli apostoli tornarono dalla missione, entusiasti ma stanchi, il Maestro disse loro: «Venite in disparte, voi soli, in un luogo deserto, e riposatevi un po'» (*Mc 6, 31*).

Penso a voi, in questo momento in cui ci può essere, insieme alle attività estive, anche un po' di riposo dopo le fatiche pastorali dei mesi scorsi. E vorrei anzitutto rinnovarvi il mio grazie: «Grazie per la vostra testimonianza, grazie per il vostro servizio; grazie per tanto bene nascosto che fate, grazie per il perdono e la consolazione che regalate in nome di Dio [...]; grazie per il vostro ministero, che spesso si svolge tra tante fatiche, incomprensioni e pochi riconoscimenti» (*Omelia per la Messa del Crisma, 6 aprile 2023*).

**Artículo 12:** La JUNTA DIRECTIVA tomará sus decisiones en reuniones personales, o a través de sistemas de comunicación de carácter telefónico, informático, o de redes sociales, previamente aprobados, siendo válidas las deliberaciones efectuadas de esta manera. En las ocasiones en que la JUNTA DIRECTIVA se reúna personalmente, que serán al menos dos por año, se designará un/a Secretario/a que labre un acta de dicha reunión, que firmarán todas/os las/os presentes. Las decisiones de la JUNTA DIRECTIVA se tomarán por mayoría simple de los votos de las/os miembros designadas/os.

**Artículo 13:** Además de las funciones específicas establecidas en este Estatuto corresponde a la/el Presidenta/e de la JUNTA DIRECTIVA: 1. Presidir las reuniones de la JUNTA DIRECTIVA. 2. Representar al COMITÉ, firmando en su caso los Convenios de Cooperación y Asistencia con instituciones públicas o privadas, nacionales o internacionales. 3. Dar cumplimiento a las resoluciones de la JUNTA DIRECTIVA. 4. Decidir con su voto en caso de empate en las votaciones de la JUNTA DIRECTIVA. 5. Disponer lo necesario para ejecutar el Plan de Acción Bienal. 6. Ejecutar los actos necesarios para la eficaz gestión y administración del COMITÉ. 7. Firmar la correspondencia y todo otro documento de la entidad. 8. Observar y hacer observar el estatuto.

**Artículo 14:** En asuntos relativos a la representación del COMITÉ, cuando por diversas circunstancias no pudiese ejercerla, el/la Presidente/a será

reemplazado/a por el/la Vicepresidente/a; quien a su vez tendrá a su cargo específicamente: 1. Mantener la comunicación con las filiales (capítulos) nacionales. 2. Conservar y actualizar la nómina de afiliadas/os al COMITÉ. 3. Supervisar las publicaciones científicas y/o académicas que edite la JUNTA DIRECTIVA.

En cumplimiento del ACTA CONSTITUTIVA se otorga y se firma el presente Estatuto por las/los miembros de la JUNTA PROMOTORA, en la Ciudad de Porto Alegre (Brasil), a los 19 días del mes de noviembre de 2019.

**CONVENTIO**

**Abdicatio partialis privilegiorum spectantium nominationem quorundam Curionum quibus Papa Pius XI concordavit in pago Lucernae die XI Iunii MCMXXVI.**

**SEGRETERIA DI STATO**

N. 7815/23/RS

Aus dem Vatikan, am 26. Juli 2023

Sehr geehrter Herr Schwerzmann,

Mit Ihrem geschätzten Schreiben vom vergangenen 26. Juni haben Sie mich über den Beschluss des Regierungsrates des Kantons Luzern informiert, gemäß Canon 80 des Kodex des kanonischen Rechts auf das Privileg der Ernennung einiger Pfarrer im Kanton Luzern, das Seine Heiligkeit Pius XI den Kantonalbehörden am 11. Juni 1926 gewährt hatte, zu verzichten, unter Beibehaltung jedoch, wie bisher, des Privilegs der Ernennung der Pröpste und Chorherren der Kollegiatstifte St. Michael in Beromünster und St. Leodegar in Luzern sowie des Präfekten der Jesuitenkirche in Luzern und des Pfarrer von St. Urban. Gleichzeitig schlug der Regierungsrat im Einvernehmen mit dem Bischof von Basel, S.E. Dr. Felix Gmür, eine Reihe von praktischen Regelungen für die Ausübung der übrigen päpstlichen Privilegien vor.

Ich bedanke mich für Ihre aufmerksame Mühewaltung und freue mich Ihnen mitteilen zu dürfen, dass Seine Heiligkeit Papst Franziskus am 23. Juli 2023 Ihrem Gesuch wohlwollend entsprochen hat und den Verzicht auf das Privileg der Ernennung bestimmter Pfarrer in diesem Kanton, das S.H. Pius XI am 11. Juni 1926 den kantonalen Behörden gewährt hatte, angenommen hat. Gleichzeitig hat der Heilige Vater die von Ihnen, im Einvernehmen mit dem Bischof von Basel, S.E. Dr. Felix Gmür, vorgeschlagenen, praktischen Regelungen für die Ausübung der übrigen päpstlichen Privilegien genehmigt. Daher gilt von nun an:

- 1) Der Regierungsrat des Kantons Luzern wird wie bisher die Pröpste und Chorherren der Kollegiatstifte St. Michael in Beromünster und St.

Leodegar in Luzern sowie den Präfekten der Jesuitenkirche in Luzern und den Pfarrer von St. Urban ernennen. Dieses Privileg gilt unter der Bedingung, dass der Kanton Luzern den oben genannten kirchlichen Personen und Körperschaften die bisherigen Leistungen, Zuschüsse und Gehälter weiterhin bezahlt.

- 2) Wird eines der genannten kirchlichen Ämter vakant, so schlägt der Diözesanbischof dem Regierungsrat einen geeigneten Kandidaten zur Wahl vor. Bei diesem Vorschlag berücksichtigt der Bischof den Wunsch des Kantons Luzern, Kandidaten, die aus dem Kanton stammen oder mit ihm in tatsächlicher Verbindung stehen, den Vorzug zu geben. Bevor er dem Regierungsrat den Kandidaten für das Amt des Propstes oder eines Chorherrn von St. Michael in Beromünster und St. Leodegar in Luzern vorschlägt, konsultiert der Bischof das jeweilige Kollegiatkapitel.
- 3) Die kanonische Einsetzung der Dignitäre der beiden Kapitel sowie der Chorherren und des Präfekten der Jesuitenkirche sowie des Pfarrers von St. Urban kommt dem Diözesanbischof zu.
- 4) Der Bischof hat das Recht und die Pflicht, die Ausübung der Tätigkeit der Gewählten zu überwachen und ihnen im Falle eines Fehlverhaltens die kanonische Einsetzung gemäß dem Kirchenrecht zu entziehen.

Alle anderen päpstlichen Privilegien, die dem Kanton Luzern am 11. Juni 1926 gewährt wurden, sind gemäß Canon 80 des Kodex des kanonischen Rechts am 23. Juli erloschen.

Hochachtungsvoll

PIETRO KARDINAL PAROLIN  
*Staatssekretär Seiner Heiligkeit*

---

Sehr geehrten Herrn  
Marcel SCHWERZMANN  
Regierungsrat des Kanton Luzern  
Bildungs- und Kulturdepartement  
LUZERN - SCHWEIZ

# ACTA DICASTERIORUM

---

## DICASTERIUM

### PRO ECCLESIIS ORIENTALIBUS

---

#### RESCRIPTUM « EX AUDIENTIA SS.MI »

**Normae propriae Exarchiae Apostolicae Italiae pro fidelibus catholicis ucrainis ritus byzantini.**

Il Santo Padre Francesco nell'udienza concessa al sottoscritto Arcivescovo Claudio Gugerotti, Prefetto del Dicastero per le Chiese Orientali, il 23 giugno 2023, tenuto conto che la conservazione della propria identità di origine è utile per la preservazione e l'incremento della fede cattolica, ha accolto la proposta di provvedere al fine di favorire quanto possa essere d'ausilio ad una proficua cura spirituale di coloro che appartengono *all'Esarcato apostolico per i fedeli cattolici ucraini di rito bizantino residenti in Italia*, eretto l'11 luglio 2019 con la bolla *Christo Salvatori*. Pertanto, ha stabilito di adottare le seguenti disposizioni:

Art. 1 - L'Esarcato è una porzione del Popolo di Dio formato dai fedeli ascritti alla Chiesa *sui iuris* greco-cattolica ucraina, con domicilio o quasi domicilio in Italia e retta dall'Esarca a nome del Romano Pontefice.

Art. 2 - L'Esarca è membro di diritto della Conferenza Episcopale Italiana e, conseguentemente, è vincolato alle norme che ne regolano il funzionamento, nonché ne segue le Direttive.

Art. 3 - L'Esarca, nell'esercizio del proprio ufficio, deve mantenere stretti legami di comunione e di coordinamento con i Vescovi delle Diocesi e delle Eparchie italiane in cui l'Esarcato è presente.

Art. 4 - Per erigere le parrocchie personali l'Esarca acquisisce il parere dei Vescovi del luogo interessati e successivamente informa il Dicastero per le Chiese Orientali.

Art. 5 - I chierici dell'Esarcato devono coltivare un vincolo di unità con il presbitero della Diocesi o della Eparchia nel cui territorio svolgono il loro ministero. In questo spirito favoriranno iniziative e attività pastorali e caritative congiunte, le quali potranno essere oggetto di particolari accordi o convenzioni stipulate tra l'Esarca e il Vescovo del luogo.

Art. 6 - I chierici dell'Esarcato e quelli delle Diocesi o delle Eparchie nel cui territorio si trova la parrocchia personale dell'Esarcato, eserciteranno il ministero in mutuo aiuto pastorale.

Art. 7 - Il servizio pastorale o la presenza per motivi di studio in Italia dei presbiteri ascritti alla Chiesa *sui iuris* greco-cattolica ucraina sono disciplinati con convenzioni, secondo i modelli stabiliti dalla Conferenza Episcopale Italiana, tra i rispettivi Gerarchi e l'Esarca. Qualora siano sottoscritte con un Vescovo diocesano o eparchiale occorre il nulla osta dell'Esarca.

Art. 8 - L'Esarca, con la licenza del Dicastero per le Chiese Orientali, può erigere nuovi Istituti di Vita Consacrata e Società di Vita Apostolica.

*Dal Vaticano, 28 agosto 2023*

✠ CLAUDIO GUGEROTTI  
*Prefetto*

# DICASTERIUM DE CAUSIS SANCTORUM

## MATRITENSIS

**Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Ioannis Sánchez Hernández, Sacerdotis e Sodalitate Sacerdotum Operariorum Dioecesanorum Cordis Iesu, Fundatoris Instituti Saecularis Servarum Saecularium a Iesu Christo Sacerdote (1902-1975)**

### DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Pro eis ego sanctifico meipsum, ut sint et ipsi sanctificati in veritate»  
(*Io* 17, 19).

Sacerdotalis sanctificationis propositum, quod Servus Dei Ioannis Sánchez Hernández suo in corde coluit, cunctam vitam ministeriumque eius implevit. Se enim “sacerdotii apostolum” a Deo vocari percepit atque, ut ad illam vocationem responderet, continenter sanctitati appetivit. Verax discipulus Beati Emmanuelis Domingo y Sol, Fundatoris Sodalitatis Sacerdotum Operariorum Dioecesanorum Cordis Iesu, se etiam vocationibus promovendis presbyterisque instituendis devovit. Ex eius ipso sacerdotali corde, Christi sacerdotium vehementer vivendi cupiditate impulso, Institutum ortum est Servarum Saecularium a Iesu Christo Sacerdote, ut laboris auxilio pastorem presbyterorum missionem adjuvarent.

Servus Dei in lucem die 9 mensis Novembris anno 1902 venit in Hispania, apud vicum v.d. *Villanueva del Campillo*, Abulensem inter provinciam. Undecim annos natus, Seminarium Salmantinum ingressus est, Sacerdotum Operariorum Dioecesanorum curae commissum. Istorum ecclesiasticas, religiosas et apostolicas promovendi sustinendique vocationes charismate permotus, se eorundem Sodalitati iungere cupivit. Presbyter ordinatus est Burgis die 26 mensis Iulii anno 1925 atque die 12 mensis Augusti anno insequenti in Sodalitate suam fecit consecrationem. Pro seminarii alumnorum cordis institutione, sicut ipse dicere solebat, Burgis, Toleti, Plasentiae, Salmanticae et apud Pontificium Collegium Sancti Ioseph in Urbe praestitit opus. Spiritualis moderator sapiens ac prudens praecipue eminuit. Caritate plenus, tempus viresque impendit ad seminarii alumnorum sacerdotumque profectus, sed et religiosorum et christifidelium laicorum, consilium ab eo

petentium. Duodecim annos Consilio generali Sodalitatis interfuit, cuius sex per annos functus est Secretarii generalis munere.

Anno 1954, una cum Maria Iosepha Cortijo Corral, christifideli laica, Institutum Saeculare condidit Servarum Saecularium a Iesu Christo Sacerdote, quae sacerdotale animum servant, pariter in medio mundi essent “apostolae”. Itaque Servus Dei signa temporum discernere valuit ac novum mulierum munus in Ecclesia invenire, Servis Saecularibus pastorale spiritum presbyterorumque missionem, suum iuxta peculiarem modum, communicare proponens. Instituti Saecularis ortus ei vero quosdam labores et inimicitias attulit. Qui autem in omnibus superioribus oboedientem se semper ostendit, temperantem in adversantes, fidei speique virum in Deum Providentiamque eius. Altam vero humilitatem percoluit. Ab anno 1960 totum se Instituti incremento tradidit, Servarum Saecularium institutionem curando atque Consilii generalis opus proseguendo. Cum die 8 mensis Decembris anno 1965 ab Apostolica Sede Institutum approbatum esset, Servus Dei se decedere statuit ac consiliarium tantum permanere. Ad presbyterorum opus adiuvandum, Piam Unionem sacerdotum parentum et cooperatorum quoque instituit, quam anno 1968 Archiepiscopus Matritensis approbavit.

Servi Dei spiritualitas in principatu Iesum Christum Sacerdotem obtinebat. Nam omni tempore Eum imitari quaesivit, Deum Patrem amando eiusque voluntatem semper adimplere cupiendo. Ferventem interiorem vitam fructiferumque apostolatam suam viva fide aluit, continua precatione atque ardenti pietate erga Eucharistiam, quam devotione celebrare ac fervore adorare solebat.

Matriti mortuus est die 18 mensis Iulii anno 1975, nonnullis diebus suum ante aureum presbyterale iubilaeum.

Cum in vita et post mortem sanctitatis fama circumdaretur, eius instructa est Causa beatificationis et canonizationis. Inquisitio dioecesana apud Curiam ecclesiasticam Matritensem a die 13 mensis Maii anno 2009 habita est ad diem 9 mensis Novembris anno 2022. Congregatio de Causis Sanctorum de Inquisitionis iuridica validitate die 25 mensis Iunii anno 2004 edidit decretum. Positio inde exarata est atque an Servus Dei in gradu heroico christianas virtutes exercuisset, usitatas secundum normas, est disceptatum. Peculiare Consultorum Theologorum Congressus die 29 mensis Septembris anno 2015 favens tulit suffragium. Patres Cardinales et Episcopi, Ordinaria

Sessione diei 7 mensis Iunii anno 2022 congregati, Servum Dei professi sunt theologales, cardinales iisque adnexas virtutes heroico more excoluisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Dicasterii de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Fortitudine et Temperantia iisque adnexis in gradu heroico Servi Dei Ioannis Sánchez Hernández, Sacerdotis e Sodalitate Sacerdotum Operariorum Dioecesanorum Cordis Iesu, Fundatoris Instituti Saecularis Servarum Saecularium a Iesu Christo Sacerdote, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Dicasterii de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 5 mensis Augusti a. D. 2022.

MARCELLUS Card. SEMERARO  
*Praefectus*

L. ☩ S.

☩ FABIVS FABENE  
Archiep. tit. Faliscodunensis, *a Secretis*

## IANUENSIS

**Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Humilis a Ianua (in saeculo: Ioannis Iosephi Bonzi), Sacerdotis professi Ordinis Fratrum Minorum Capuccinorum, Fundatoris Operae v.d. *Sorriso francescano* et Congregationis Parvarum Ancillarum a Iesu Infante (1898-1969)**

## DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Deus caritas est; et, qui manet in caritate, in Deo manet, et Deus in eo manet» (1 Io 4, 16).

Omnibus in litteris suis, Servus Dei Humilis a Ianua (in saeculo: Ioannes Iosephus Bonzi) magnis notis “Deus solus et caritas eius” scribere solebat. Cuius enim in vita caritas divina principatum habebat. Sancti Francisci Assisiensis discipulus, Dei voluntati assensus est, eum ad validam caritatem in proximum exercendam vocanti. Itaque, qui praecipue se theologiae docendae tradiderat, idem factus est explicati Evangelii pagina multis pro pueris, vi adultorum oppressis, ad novam hominum spei habilium pacisque artificum generationem formandam.

Servus Dei natus est Ianuae die 21 mensis Aprilis anno 1898. Duobus diebus post baptizatus est, Ioannis Iosephi sumptis nominibus. Exercitii commercialis studiis peractis, opus facere incepit apud argentariam Ianuae vulgo *Credito Italiano* vocata ac, insequenti anno, apud eiusdem urbis Mensam Pecuniae Montemque Pietatis. Illis iuventutis annis haud commune religionis sensum ostendit et animam quandam Deum quidem quaerentem. Ideo, inter aetatem quindecim et viginti annorum, se Ordinem ingredi Fratrum Minorum Capuccinorum cupere incepit, ita ut anno 1918 novitiatum inchoaret, nomen Humilis a Ianua accipiens. Prima nuncupavit vota die 16 mensis Augusti anno 1919 ac dein aggressus est ad philosophica theologicaque studia. Perpetua emissa professione anno 1922, die 25 mensis Ianuarii anno 1925 presbyteralem ordinationem suscepit. Quintum post annum, Romae philosophiae Thomisticae apud Pontificiam Academiam Sancti Thomae Aquinatis atque, anno 1928, Sacrae Theologiae doctoris gradum adeptus est in Pontificia Universitate Gregoriana. Inde in Provinciae suae Studium Theologicum Capuccinorum docere incepit, theologiae edidit libros ac praedicatoris exercuit munus.

Inter ruinas urbis, tormentorum secundi totius mundi belli coniectionibus vastatae, Servus Dei pupillos, pueros sine tecto ac sede, fame laborantes, vagari vidit ac, ad misericordiam inductus, eosdem in Ianuense conventum Sancti Barnabae recipere incepit. Sic ortum est, anno 1945, id quod postea factum est Opera v.d. *Sorriso francescano*. Quae vero increbuit, domibus ad pueros recipiendos, scholis et officinis adiunctis ad iuvenes instituendos et operis agendi causa formandos. Tres et viginti annos, quibus Operam rexit, Servus Dei per urbis vias exiit mendicare. Anno 1948 Cardinalis Iosephus Siri, Archiepiscopus Ianuensis, institutum canonicè agnovit. Religiosis christifidelisque laicis adiuvantibus, novae conditae sunt domus Ianuae, Savone ac Spediae. Servus Dei porro anno 1946 Parvas Ancillas a Iesu Infante instituit, ut inter Operam ministrarentur. Humilis a Ianua vicarius fuit quoque Causae beatificationis et canonizationis Mariae Franciscæ a Iesu (in saeculo: Annae Mariae Rubatto) Postulatoris, quae vero Sancta die 15 mensis Maii anno 2022 a Summo Pontifice Francisco est declarata.

Sapientis caritatis per exercitium, necnon castitatis prudentis ac humilitatis immensae, Servus Dei ad evangelicam pervenit perfectionem. Virtutes eius a devota prece et alta unione cum Deo ortae sunt. Aliquando in oratione, etiam in via mendicans, defixus inveniebatur. Cum Deo sermocinando, sic sua semper perfecit proposita. Matrem Dei filii corde diligebat. In omnibus interminatam coluit fiduciam in Providentia. Quem tanta fides ad spem servandam continenter impulit, ut sine sincera et eximia caritate in Deum Operae v.d. *Sorriso francescano* ortum incrementumque gerere minime potuisset. Severo habitu et offirmata voluntate, labores omnes incommodaque patientia toleravit. Paupertatis cupiditas atque vitae austeritas semper summam tuitae sunt eius interiorem libertatem.

Ab anno 1967 Servi Dei valetudo usque facta est aegrior. Postremos vitae dies prima in Operae v.d. *Sorriso francescano* sede degere voluit. Animo quieto ac serenato morti vero occurrit, quae die 9 mensis Februarii anno 1969 accidit. Exuviae eius in Patrum Capuccinorum ecclesia, “Sancti Patris” appellata, Ianuae requiescunt. Eius quidem caritatis memoria ac quaedam sanctitatis fama semper vixerunt et hodie adhuc inter Ianuae incolas vivunt.

Quapropter, apud illius eiusdem urbis Curiam ecclesiasticam, Inquisitio dioecesana celebrata est, cuius inauguralis sessio die 11 mensis Martii anno 1994 habita est atque die 2 mensis Februarii anno 2000 conclusiva. Per decretum diei 1 mensis Iunii anno 2001, Congregatio de Causis Sanctorum

iuridicam Inquisitionis validitatem approbavit. Positione deinde producta, die 13 mensis Octobris anno 2020 Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum, felici cum exitu, disceptavit an Servus Dei in gradu heroico christianas virtutes excoluisset. Patres Cardinales et Episcopi, Ordinaria in diei 7 mensis Iunii anno 2022 Sessione, Servum Dei professi sunt theologales, cardinales iisque adnexas virtutes heroico more exercuisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Dicasterii de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Fortitudine et Temperantia iisque adnexis in gradu heroico Servi Dei Humilis a Ianua, Sacerdotis professi Ordinis Fratrum Minorum Capuccinorum, Fundatoris Operae v.d. “Sorriso francescano” et Congregationis Parvarum Ancillarum a Iesu Infante, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Dicasterii de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 5 mensis Augusti a. D. 2022.

MARCELLUS Card. SEMERARO  
*Praefectus*

L. ☒ S.

☒ FABIVS FABENE  
Archiep. tit. Faliscodunensis, *a Secretis*

## APPARTIOPOLITANA

**Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Victoris Coelho de Almeida, Sacerdotis  
professi Congregationis Sanctissimi Redemptoris (1899-1987)**

**DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS**

«Qui fecerit unum de mandatis istis minimis et docuerit sic homines, magnus vocabitur in regno caelorum» (cfr *Mt* 5, 19).

Servus Dei Victor Coelho de Almeida haud dubias suas communicationis periti dotes ad Evangelio nuntiando ministrandum impendit, ut multi copiosam apud Christum Iesum redemptionem novissent. Providens vir et quasi sui temporis propheta, opus sine fatigatione, pertinaciter ac patienter fecit ut, tunc recentissimis instrumentis utens, religiosae Verbi Dei ministri Sanctique Alfonsi discipuli vitae propositum compleret.

Servus Dei ortus est die 22 mensis Septembris anno 1899 in Sacramento, Brasiliae in Minarum Generalium Statu. Duodecim annos natus, Collegium Sancti Alfonsi Apparitiopolis ingressus est ac intra Congregationem Sanctissimi Redemptoris votorum temporalium professionem emisit anno 1918. In Germania apud Gars ad Aenum studia peregit, ubi perpetua nuncupavit vota ac presbyter ordinatus est die 5 mensis Augusti anno 1923 ab Archiepiscopo Monacensi et Frisingensi. Insequenti anno Apparitiopolim repetivit, ad sacerdotale faciendum ministerium. Se Congregationis missionibus praedicandis praecipue tradidit et operi pro promovendis vocationibus praestando nonnullis in Sancti Pauli Status civitatibus. Altera dimidia parte anni 1940 tabem contraxit, ex qua ut recrearetur octo annos in loci v.d. *Campos do Jordão* valetudinario resedit. Ob infirmitatem corporis, quae illius morbi exitus fuit, apostolicum opus suum confestim resumere nequivit. Itaque missus est ad sanctuarium Beatae Mariae Virginis *Nossa Senhora Aparecida* appellatum, spiritualis peregrinorum admissionis munere initio fungens. Dein missionarium recepit opus, propensam voluntatem alioquin ostendens in recentiorum instrumentorum usum, sicut megaphoni et communicationis socialis instrumentorum. Iisdem annis Servus Dei ad stationem radiophonicam instituendam v.d. *Radio Aparecida*, quod instrumentum ultimarum Basiliae regionum Evangelizationi destinaretur, necnon ad eiusdem programmata inchoanda, auxilium laboris praestitit. Inde apostolatus per

radiophonum Servi Dei vitam ministeriumque denotavit atque interventus eius inter multitudines loci optime cesserunt. Ab anno 1965 ad annum 1968 stationem radiophonicam etiam est moderatus. Verus magister fidei et catechista, alto iustitiae sensu impulsus est vivoque zelo ad humanam dignitatem promovendam. Opiniones de socialibus rebus, quas vero aperte protulit, tam graviorum laborum fuerunt, quam ei sincerus sermo popularisque increbrescens favor dissensiones et inimicitias attulerunt. In omnibus se mansuetum caritateque plenum praebuit. Magna cum fidelium spirituali progressionem, plurimas Virginis v.d. *Aparecida* simulacri peregrinationes instruxit, in quam autem firmam filii devotionem coluit. Extremis vitae annis infirmitate coactus est nisus attenuare, donec die 21 mensis Iulii anno 1987 in loco v.d. *Guaratinguetá* obiit.

Servus Dei veritates christianas exponendi facultate eminuit, in quas ipse firmiter integreque credidit. Nam candidis verbis uti adeo valuit, ut humiliores intellegere possent. De cotidianis rebus hortari quoque animum induxit, cum hominum, familiarum, laboratorum dignitatem profiteretur. Omnia, quae docuit, vitae perquam virtuosae probavit exemplo. Nam praecellens eius missionarium zelum ex alta Domini communione exstitit. Eius quidem caritas in proximum non tantum adiumento rerum constabat, sed et habitus erat cordis necnon cupiditas Evangelium egenis et laborantibus declarandi. Oboedientia et humilitate, paupertatis dilectione ac sui ipsius contemptione, cuncta perfecit, pecuniam, quam multi sponte ei offerre solebant, prudens tractando. Cuius viventis iam sanctitatis fama permanavit, quae vero usque post mortem est confirmata.

Hanc eandem propter famam, apud Curiam ecclesiasticam Apparitionopolitanam Inquisitio dioecesana celebrata est, quae die 12 mensis Octobris anno 1998 incepit ac die 30 mensis Augusti anno 2006 ad finem pervenit. Congregatio de Causis Sanctorum iuridicam validitatem eius per decretum diei 29 mensis Februarii anno 2008 agnovit. Inquisitio suppletiva postea a die 24 mensis Iunii anno 2013 ad diem 27 mensis Octobris anno 2014 habita est atque, ad iuridicam eius validitatem agnoscendam, eadem Congregatio die 26 mensis Februarii anno 2016 edidit decretum. Positio inde exarata est et disceptari incepit, consuetas secundum normas, de Servi Dei heroico christianarum virtutum exercitio. Peculiaris Congressus Consultorum Theologorum die 16 mensis Decembris anno 2021 fastum habuit exitum. Simili modo Patres Cardinales et Episcopi, Ordinaria occurrente diei 21

mensis Iunii anno 2022 Sessione, Servum Dei professi sunt in gradu heroico theologales, cardinales iisque adnexas virtutes exercuisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Dicasterii de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Fortitudine et Temperantia iisque adnexis in gradu heroico Servi Dei Victoris Coelho De Almeida, Sacerdotis professi Congregationis Sanctissimi Redemptoris, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Dicasterii de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 5 mensis Augusti a. D. 2022.

MARCELLUS Card. SEMERARO  
*Praefectus*

L. ☩ S.

☩ FABIVS FABENE  
Archiep. tit. Faliscodunensis, a Secretis

## KANNURENSIS

**Beatificationis et Canonizationis Servae Dei Mariae Caelinae Kannanaikal, Sororis  
professae Congregationis Sororum Ursularum a Maria Immaculata (1931-1957)**

**DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS**

«Nunc gaudeo in passionibus pro vobis et adimpleo, ea quae desunt passionum Christi in carne mea pro corpore eius, quod est ecclesia» (*Col 1, 24*).

Paulus apostolus omnes, qui christiano animo dolores accipiunt, Crucis Christi mysterii, qui redemptionem mundi fecit, partem habere asseverat. Quod perquam verum in Serva Dei Maria Caelina Kannanaikal factum est, quae iam ab iuveni aetate Passionem Iesu flagranter dilexit. Se sponsam crucifixam Crucifixo Sponso iungendi ex proposito, ferventer amplexa est heroici doloris viam.

Serva Dei nata est die 13 mensis Februarii anno 1931 in loco v.d. *Kundannur*, in Malabaribus. A parentibus primas didicit virtutes, scilicet fidem in Deum, spem in promissiones eius magnamque caritatem erga omnes, quod in ea clarum sapientem prudentemque animum promovit. Nummarias ob familiae angustias, quodam ab avunculo sustentata est ad studia in locis v.d. *Kottapady*, *Erumapetty* denique *Anappara* peragenda, ut ludi litterarum magistra fieret. Primum opus praestare inchoavit. Deinde, suam propter caritatem in Christum, Congregationem Sororum Ursularum a Maria Immaculata ingressa est, quae a Beata Birgitta a Iesu (in saeculo: Birgitta Morello) in Italia condita erat atque in Indiam, quadam domu in urbe v.d. *Kannur* aperienda, anno 1934 pervenerat. Serva Dei vero hanc ipsam Congregationem elegit, cum admodum peculiari eius carismate attrahi perciperet, quod in imitatione Christi Crucis confixi consistit ad partem Passionis, Mortis et Resurrectionis habendam pro mundi redemptione. Nam Serva Dei ab infantia graves dolores acrioraque tormenta in corpore coacta est sufferre. Tribus novitiatus annis, fervens et devota, omnium christianarum virtutum adepta est habitum. Usque ad diem ante mortem suam, ut religiosa, docere perrexit. Die 20 mensis Iunii anno 1957 vota nuncupavit. Die 25 mensis Iulii 1957 Serva Dei, vixdum quinque et triginta diebus a professione transactis, subitanea morte perivit.

Brevi suae vitae tempore Serva Dei mundo latuit. Tacita enim soror, sine specie, vitam absconditam, sicut Iesus, vivere cupivit. Omnes tamen, qui cognoverunt eam, se penitus aedificari dixerunt eius virtutis ac sanctitatis testimonio. Ardenti perfectionis evangelicae necnon sanctitatis cupiditate praecipue semper eminent. Continua precatione, disciplina ac paenitentiae exercitio fidem aluit atque se divinae voluntati in omnibus submitit. Plurimas horas Sanctissimum Sacramentum adorando degebat et illa adoratione tam capiebatur, ne quodcumque circum fieret animadverteret. Itaque Deus vitae eius principatum continenter obtinuit. Omnem dolorem, tormentum et privationem accepit Dei dona ad sanctificationem suam. Eo, per sui ipsius oblationis conscientiam, numquam omisit spem. Christum religiosa virginali caritate dilexit, quam paupertatem, castitatem et oboedientiam excolendo perfecit. Fidem caritatis actibus explicavit, sive pro egenis, quos octavo quoque die congregabat, ut iisdem oryzam erogaret, sive religiosis pro sororibus suis. Opus praestando accurata fuit et sedula, in primis erga alumnos ac parentes eorum. Sunt qui dicant praecellenti alacritate postremos ante mortem suam operandi dies vixisse.

Magnam propter suam sanctitatis famam, cui se quaedam de eius intercessionis facultate fama addidit, apud Curiam ecclesiasticam Kannurensis a die 29 mensis Iunii anno 2008 ad diem 28 mensis Maii anno 2014 Inquisitio dioecesana celebrata est, quae dein a Congregatione de Causis Sanctorum valida ex iure approbata est per decretum diei 11 mensis Decembris anno 2015. Positio confecta Consultorum historicorum examini die 26 mensis Martii anno 2019 est subiecta. Consultores theologi die 20 mensis Maii anno 2021 asseverans votum protulerunt, ut Servae Dei heroicae virtutes agnoscerentur. Inde Patres Cardinales et Episcopi, in Ordinaria Sessione diei 21 mensis Iunii anno 2022 congregati, professi sunt Servam Dei theologales, cardinales iique adnexas virtutes exercuisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Dicasterii de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Fortitudine et Temperantia iisque adnexis in gradu heroico Servae Dei Mariae*

*Caelinae Kannanaikal, Sororis professaе Congregationis Sororum Ursulina-  
rum a Maria Immaculata, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Dicasterii de Causis  
Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 5 mensis Augusti a. D. 2022.

MARCELLUS Card. SEMERARO

*Praefectus*

L. ✠ S.

✠ FABIVS FABENE

Archiep. tit. Faliscodunensis, *a Secretis*

## MEDELLENSIS

**Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Iesu Antonii Gómez Gómez, Sacerdotis dioecesanii (1895-1971)**

**DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS**

«Sive ministerium, in ministrando; sive qui docet, in doctrina. Sollicitudine non pigri, spiritu ferventes, Domino servientes» (*Rm* 12, 7.11)

Servi Dei Iesu Antonii Gómez Gómez vita et ministerium huic Apostoli adhortationi largiter responderunt. Nam sacerdotalis zelus cor eius continenter implevit, tam ut non Domino tantum ulla sine parsimonia ministraret, sed etiam divina summa devotione tractare doceret opusque alacriter facere ad animarum salutem.

Servus Dei natus est in Columbia, in loco v.d. *El Santuario*, die 26 mensis Martii anno 1895. Frequens eius familia, sinceram fidem, pietatem et timorem Dei excolens, Ecclesiae tres dedit presbyteros et religiosam. Primis studiis in collegio Sancti Aloisii peractis, Servus Dei ingressus est Seminarium Medellense. Quo loco perfectam et altam formationem recepit, quae vero postea eius vitam sacerdotaleque opus informavit atque reddidit eum eminentissimae probitatis moralis, necessitudinis et concordiae virum. Die 11 mensis Martii anno 1922 ab Emmanuele Iosepho Cayzedo Martínez, Archiepiscopo Medellensi, ordinatus est presbyter. Iam a ministerii sui initio, vicarii cooperitoris munere apud Sanctum Rochum fungendo, ingente zelum et ardentem caritatem in Iesum Eucharisticum ostendit. Plurimas enim horas coram tabernaculo agebat, adeo ut eum fideles “lucernam Sanctissimi” appellarent. Dein rector fuit collegii nationalis Sancti Ioseph in Marinella ac vicarius cooperitor suae ipsius patriae, ubi vero se iuventutis bono provehendo egenioribusque subveniendo tradidit. Opus etiam praestitit, uti cappellanus vel confessarius, variis pro religiosarum congregationibus. Ab anno 1936 ad annum 1956 Medellensis seminarii spiritualis moderator fuit et illic in tempus theologiam dogmaticam quoque docuit. Inter munera, quae gessit, officium habuit assessoris “Cruciatae Eucharisticae”, quo adimplendo audax fecundusque apostolatus eius, in primis inter pueros ac iuvenes, prominuit. Aliquot quidem edidit scripta, sive ad socios “Cruciatae” instituendos, sive de vitae sacerdotalis quaestionibus. Peculiari studio

Confessiones audiendas navavit et spiritualis sacerdotum, alumnorum seminarii, religiosarum et laicorum moderaminis curam. Omnes vero magna animae beneficia ab ipso susceperunt. Qui enim ea semper exercuit, quae docuit. Anno 1957 nominatus est Canonicus Magistralis Capituli Cathedralis Medellensis. Die 23 mensis Martii anno 1971 obiit.

Servi Dei spiritualitas alta caritate denotata est in Christum, in Eucharistiam et in Sacrum Cor Iesu. Ex adoratione Sanctissimi Sacramenti animam dona et peculiares gratias semper percipere pro certo habuit, quod idem seminarii alumnos edocuit. Erga Mariam Sanctissimam, quam Virginem Perdolentem precari cupivit, multosque erga sanctos flagrantem devotionem coluit. Cotidie meditationem exercuit, transactis octonis diebus Paenitentiae sacramentum adire solitus est atque omni feria VI hebdomadae Viam Crucis celebrabat. Itaque, Verbum Dei assidue meditando, suum virtutis habitum perfecit. Tam insignem habuit fidem, ut omnes Servi Dei vitam verum et continuum caritatis in Deum actum dixerunt. Nam omni tempore Dei usque amandi cupiditatem patefecit. Ergo caritas eius refulsit ac, eadem impulsus, totum se glorificando Deo proximoque diligendo tradidit. Quem autem caeci et muti scholae, cuius anno 1947 nominatus est cappellanus, patrem et beneficum duxerunt. Mense ante mortem collectam statuit, ut eadem pecunia, a sacerdotibus impensa, inopibus succurreretur. Bonum misericordis Patris vultum revelando, multorum angustias doloresque levavit. Filii more Ecclesiam, Summum Pontificem ac suum Episcopum dilexit, ita ut illo tumultuoso rei publicae tempore se semper prudentem praeberet superioribusque suis oboedientem. Sobrietas, humilitas et temperantia suam ferventem semper sustinere interiorem vitam. At eius virtutum stat excellentia in haud communi perseverantia et firma fidelitate. Cunctis his rebus, vivens ingenti sanctitatis fama gavisus est, quae etiam amplior facta est post mortem eius, quandam propter signorum quoque incipientem famam.

Quo a die 24 mensis Novembris anno 2000 ad diem 4 mensis Octobris anno 2002 apud Curiam ecclesiasticam Medellensem Inquisitio dioecesana habita est, cuius de iuridica validitate Congregatio de Causis Sanctorum die 13 mensis Februarii anno 2004 edidit decretum. Positione confecta, iuxta consuetudinem disceptatum est an Servus Dei in gradu heroico christianas virtutes excoluisset. Die 11 mensis Martii anno 2021 Consultores theologi adfirmativum votum protulerunt. Patres Cardinales et Episcopi, diei 7 mensis Iunii anno 2022 eorum Ordinaria Sessione occurrente, Servum Dei

professi sunt theologales, cardinales iisque adnexas virtutes heroico modo exercuisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Dicasterii de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Fortitudine et Temperantia iisque adnexis in gradu heroico Servi Dei Iesu Antonii Gómez Gómez, Sacerdotis dioecesanii, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Dicasterii de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 5 mensis Augusti a. D. 2022.

MARCELLUS Card. SEMERARO  
*Praefectus*

L. ☩ S.

☩ FABIVS FABENE  
Archiep. tit. Faliscodunensis, *a Secretis*

## MUNKACSIENSIS

**Beatificationis seu Declarationis Martyrii Servi Dei Petri Pauli Oros, Sacerdotis  
Eparchiae Munkacsienensis († die 28 mensis Augusti anno 1953)**

## DECRETUM SUPER MARTYRIO

«Neque accendunt lucernam et ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt» (*Mt 5, 15*).

Servus Dei Petrus Paulus Oros suum fulgidum caritatis in Christum et in Ecclesiam testimonium tempore praebuit, quo imperium Sovieticum omnibus viribus nisum est ut Ecclesia Graeco-Catholica Ruthena in Ucraina exstingeretur. Quem interfectores, tumultum eius occulando et locum sepulturae diuturne tacitum continendo, in perpetuum oblitterare voluerunt. Christianus attamen populus exsultavit, qui numquam sivit huius tam insigniti fidei exempli lumen comminui, cum anno 1992 Servi Dei exuviae sub crusta lithocollae invenirentur, intra aedem vigilum urbis v.d. *Irshava*, ac eius ipsius in paroecialem ecclesiam urbis v.d. *Bilky* transferrentur, in regione “trans Carpates” denominata.

Servus Dei in commune v.d. *Biri*, intra Ungariae fines, natus est die 14 mensis Iulii anno 1917. Pater eius Graeco-Catholicus sacerdos fuit, sicut eiusdem Ecclesiae sacerdotes parochique propinqui fuere qui curam eius gesserunt. Postquam undecimum aetatis annum agens parentibus est orbatus. Servus Dei seminarium Uzhorodi ingressus est atque Olomucii, in Cechoslovachia, studia perrexit, qui autem denuo Uzhorodi complevit. Die 28 mensis Iunii anno 1942, ut caelebs presbyter, ordinationem suscepit in ecclesia Dormitionis Virginis Mariae in loco v.d. *Domanyntsi*. Iam ab eius pastoralis ministerii initio, praecipue paupertate, humilitate summaque misericordia et in egenos caritate eminuit, cum quibus vero panem suum ac suas vestes communicabat, necnon quos aliquando domum suam recipiebat. Idem fuit, cum urbis v.d. *Bilky* parochi munere fungeretur, in provincia v.d. *Irshava*, quo anno 1946 pervenit. Familias visitare solebat ac fideles, in primis iuvenes, ad fidem devotionemque instituere. Afflictos consolatus est et adiuvit. Inter homines pacis interpretis continenter esse valuit.

A dimidia altera parte anni 1948, Sovieticae loci potestates ut Servus Dei, et omnes sacerdotes ac fideles cum eo, Ecclesiam Graeco-Catholicam

relinquerent atque ad quandam fucatam orthodoxam ecclesiam transirent, in Iosephi Stalin servitutem reductam, effecerunt. Servus Dei catholicae fidei minime dimittendae identidem palam ac firmiter propositum patefecit. Regiminis Sovietici odium fidei usque saevius factum est: ecclesiae clausae sunt, sacerdotes extrusi ac fidelibus occulte ministrare coacti, nocturno saepe tempore, a loco ad locum fugientes. Urbis v.d. *Bilky* ecclesia Feria V in Coena Domini anno 1949 impedita, Servus Dei clam ministerium suum exercere non destitit quarumdam in domibus familiarum. Asperis quaesitionibus a vigilibus est subiectus, saepenumero detentus, in publico ludificatus, male mulcatus. Claruit, quod potestates qualibet impensa mortem eius volebant. Anno 1953 in custodia duas hebdomadas Uzhorodi retentus, deinde missus est ea condicione ne ministerium sacerdotale resumeret. Qui contra vero suum pastorale opus perrexit. Itaque die 28 mensis Augusti anno 1953, cum hamaxostichum in urbis v.d. *Velyki Komiaty* statione expectaret, quidam vigil eumprehendit et in viam duxit ad vicum v.d. *Zarichchia*. Antequam eundem ad vicum pervenirent, Servus Dei ut liberaretur poposcit et Eucharistiam, quam secum ad Communionem aegrotis impertiendam ferebat, consumpsit. Ergo vigil bis ictum sclopeto misit, alterum in Servi Dei crura, alterum in mentum. Cadaveris pervestigatio confirmavit inermis in statu viri, occisionis tempore, eum esse, probabiliter precantis, consulto quidem interfecti. Eo quod potestates noverant Patrem Oros tamquam sanctum et martyrem cultum iri atque sepulcrum eius peregrinationum locum futurum, nocte diei 29 mensis Augusti vigiles corpus eius quadam in silva humaverunt. Sequenti autem die aliqui pueri locum invenerunt, ita ut vigiles rursus transferrent et abderent corpus.

Confestim Servi Dei obitus certa circumdatus est martyrii fama. Quem enim omnes sciebant hostem a Sovietico regimine putatum esse, sua ab Ecclesia discedere nolentem, quae cum Sede Romana cohaerescebat. Interfector ergo cunctum odium fidei, quod regimen ipsum colebat, expressit, Servi Dei pastorale opus vivide spernens. Qui ceterum se vitam pro Christo oblaturum sic compluries dicerat, ut testes propter fidem vitae tradendae suam apertam describere cupiditatem possent.

Ab anno 2003 Servus Dei Petrus Paulus Oros consociatus est cum coetu Petri Mekelyta et XLIV, uti fertur, martyrum, quorum Causa beatificationis seu declarationis martyrii apud Archieparchiam Leopoltanam Ucrainorum est instituta. Postea tamen Milanus Šášik, Administrator Apostolicus Epar-

